

V

HORTATVR AMICVM VT A PVELLA NIMIS TENERA ABSTINEAT

Strophe Alcaica

Nōndum subāctā ferre iugum valet
Cervīce, nōndum mūnia comparis
Aequāre, nec taurī ruentis
In Venerem tolerāre pondus.

Circā virentēs est animus tuae
Campōs iuvencae, nunc fluvīis gravem
Sōlantis aestum, nunc in ūdō
Lūdere cum vitulīs salictō

Praegestientis. Tolle cupīdinem
Immītis ūvae : iam tibi līvidōs
Distinguet autumnus racēmōs
Purpureō varius colōre.

Iam tē sequētur (currit enim ferōx
Aetās, et illī, quōs tibi dēmpserit,
Appōnet annōs), iam protervā
Fronte petet Lalagē marītum,

Dīlēcta quantum nōn Pholoē fugāx,
Nōn Chlōris : albō sīc umerō nitēns,
Vt pūra nocturnō renīdet
Lūna marī, Cnidiusve Gygēs,

Quem sī puellārum īnsererēs chorō,
Mīrē sagācēs falleret hospitēs
Discrīmen obscūrum, solūtīs
Crīnibus, ambiguōque vultū.